triarcha : *Verbis Chryſoſtomi prohibentur anathemati ſubjici Chriſtiani , quamdiu rectæ de Deo ſententiæ adhærent* : eſt omnino falſum , & ipſis Græcanicæ Eccleſiæ moribus repugnat - Non enim in ſolos *hæreticos* anathema vibratur , ſed etiam in orthodoxos ob grave aliquod crimen . Photius in Nomocanone , Tit. IX. cap. XV. ἐκ ποίων (inquiens) τις αἰτιῶν ἐν τῷ αὐτῷ καὶ ἀφορίζεται , καὶ καθαιρεῖται , ἢ καθαιρεῖται , καὶ τῆς κοινωνίας καὶ τῆς ἐκκλησίας ἐκκόπτεται : *Ob quales cauſas aliquis ſimul & excommunicetur & deponatur ; aut deponatur , & a communione vel Eccleſia ſeparetur* . Et citat *Apoſtolorum Canones* 25. 29. 30. 65. Idem cap. 16. ἐκ ποίων αἰτιῶν Κληρικὸς ἢ Λαϊκὸς ἀναθεματίζεται : *Quas ob cauſas Clericus aut Laicus anathemate feriatur* . Et citat *Concilii Gangrenſis* Canonem 18. *Concilii Chalcedonenſis* Canones 2. 7. *Baſilii* ex epiſtola ad Gregorium Presbyterum . Idem cap. 18. ἐκ ποίων τις αἰτιῶν τελείως ἐκβάλλεται . *Ob quas cauſas aliquis omnino ab Eccleſia ejiciatur* . Et citat *Apoſtolorum* Can. 28. 51. 62. *Concilii Antiocheni* Can. 4. *Concilii Laodiceni* Can. 36. *Concilii Sexti* Cap. 21. Atqui laudati Canones non de hæreticis loquuntur , ſed de Chriſtianis qui rectæ de Deo ſententiæ adhærent quidem , verum ob gravia delicta , excommunicatione aut depoſitione digni cenſentur : id quod in omnibus tam particularibus , quam œcumenicis Synodis obſervare eſt , quarum Canones ad orthodoxos in recta fide boniſque moribus retinendos ſub excommunicationis aut depoſitionis comminatione referuntur.

Alia eſſent plurima ex Chryſoſtomo ad Jus Canonicum illuſtrandum recitanda : ſed iis contenti ſimus , quæ ex eodem ſanctiſſimo Doctore profert Gentianus Hervetus in eo Nomocanone , quem e Bibliotheca Joannis Tilii Briocenſis Epiſcopi Pariſiis anno 1561. apud Guilelmum Morelium typographum Regium edidit . Ibi enim Par. 2. pag. 93. hunc Chryſoſtomi *de Sacerdotio* tractatum exhibet , cujus initium : „ *Talem eſſe Doctorem oportet , ita ſuorum diſcipulorum curam gerere , eos omnino exiſtimare* . Enumerat quippe Chryſoſto-